

Kard. Juan de Carvajal an den Salzburger Eb. Sigmund von Volkersdorf. Er verurteilt das an NvK begangene Verbrechen, fordert dessen Bestrafung und tadelt den Erzbischof für seine Untätigkeit. Er sieht die Kirche insgesamt bedroht und fordert das Zusammenstehen ihrer Bischöfe.

Kopie (gleichzeitig): BERNKASTEL-KUES, *StiB*, Cod. Cus. 221 p. 214. Über dem Text: Copia littere cardinalis sancti Angeli ad Salzburgerensem.

Erw.: Scharpff, *Cardinal und Bischof I* 327 (mit Datum 6. April); Jäger, *Streit II* 50.

Rev^{me} in Christo pater noster optime. Salutem et prosperitatem. Execrabile facinus et immane delictum sacrilegiumque detestabile et a multis retro temporibus inauditum in vestra provincia audivimus eo modo commissum, quod quedam membra diaboli et perdicionis filii re^{num} in Christo patrem et dominum, dominum nostrum Nicolaum sancte Romane ecclesie tituli sancti Petri ad vincula presbiterum
5 cardinalem manibus impiissimis, postposito dei timore, captivarint captivatumque teneant de presenti. Quod facinus in tantam divine pietatis offensam et sancte ecclesie ac imperii iniuriam cedere credimus, ut nullam latam hactenus per constitutiones penam ad expiationem tante iniquitatis sufficere arbitremur.

Nos vero, in cuius legacione hoc crudele sacrilegium commissum est, qui parati esse debemus omnem iniuriam ulcisci, illam maxime, qui in divinam maiestatem resultat, decrevimus illo modo, quo possumus,
10 providere. Scribimus itaque mandantes omnibus et singulis prelatis etc. per Germaniam constitutis, ut in omnibus ecclesiis publice captivatores et detentores predictos sententiam excommunicationis incurrisse commisisseque sacrilegium maximum ipsosque ut excommunicatos et sacrilegos evitent evitarique faciant ac penas constitutionum, que incipit ‚Felicis‘²⁾, et alterius, que incipit ‚Si quis suadente‘³⁾, denuncient, declarent et publicent incurrisse.

15 Re^e pater, ista hora nobis hoc animadvertendum facinus denunciatum est, et mirati sumus admodum silencium vestre p. r. Nescimus enim, quando loqui debeat v. p. r., cum inpresenciarum tacuerit captivitatem optimi presbiteri de ecclesia et nacione Germanie, optime meriti antistitis sanctissimi et ecclesie vestre suffraganei ac sancte Romane ecclesie presbiteri cardinalis. Ne deus irascatur v. p. r. et vocet vos mutum canem⁴⁾, rumpat silencium vestra p. r. latretque contra hos sacrilegos lupos omnibus nephandissimis hominibus multo deteriores et faciat contra eos illa servari, que in predictis constitutionibus atque in
20 aliis, que in plerisque iuris articulis continentur. Deo teste, non dicimus aptitudinem commoditatemve, sed si possibilitas nobis adesset intrandi Alamaniam, iremus in persona et predicaremus crucem contra ipsos sacrilegos. Et non ab re, nam iustius est contra tales arma movere, qui sub ymaginem quadam fide cristianitatis fidem offendunt atque dilaniant sacerdociumque annullare contendunt et facto violant et
25 quantum in eis est annullant et intra ecclesiam se esse gloriantes maiora dampna ipsi ecclesie afferunt. Isti essent exterminandi de terra, qui a tribus Romanis pontificibus moniti numquam nec minimum auxilium presterunt fidei et contra sanctissimos episcopos, quibus colla debuerunt subicere eosque venerari, in nullo resistentes, feroces se ac potentes ostendunt. Deus ad nichilum rediget eos, et vestra p. r. et alii prelati tamquam executores divine voluntatis debetis assurgere cum omni potencia atque omnibus viribus
30 et verbis et factis intendere liberationi ipsius re^{mi} patris et ecclesie sue, pro cuius libertate a cupidis rerum ecclesie carceres et duras custodias sustinet.

Rogamus p. v. r., ut per latorem presencium nos cerciores reddat, quid debeamus expectare in isto negocio de vestra p. r. deque aliis prelatis vestre provincie. Nos enim, si possibilitatem, ut diximus, haberemus, temptaremus omnia usque ad carceres et mortes. Videmus enim ita homines depravati, ut
35 necessarium sit per martirium fidem et sacerdocium tutari, pro quo certe parati sumus sive contra Turchos sive contra Christianos impios. Tales enim sunt, de quibus est habitus sermo.

20 contra: *folgt gestr.* hos sacrilegos lupos.

¹⁾ Datierung im Anschluss an den Brief an Kard. Bessarion, der auf der gleichen Seite überliefert ist; s.o. Nr. 6241.

²⁾ VT 5.9.5 (Felicis), ed. Friedberg II 1091f.

³⁾ Clem. 5.8.1, ed. Friedberg II 1187f.

⁴⁾ Vgl. Jes. 56,10.